



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

9. Vtrum vniuersale vt sic sit genus ad quinque vniuersalia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

supposito Verbi, & quocumque alio, cui vniretur natura humana hypostatice, vt accidens separabile: quamuis enim in se homo non sit accidens, tamen vt accidens competit illis suppositis, quantum ad hoc quod possit illis adesse & abesse abique illorum corruptione, & quantum ad hoc quod non sit de eorum essentia, nec proprietas ipsorum. Cum autem dicitur quod non prædicetur in quale de illis suppositis, responderi potest quod sit necesse omne prædicabile quinti prædicabilis esse prædicabile in quale.

Dici potest secundo, quod prædicetur homo de illis suppositis vt species, quia prædicatur de illis in quid, & non vt pars contractibilis, quemadmodum prædicatur genus: nec vt pars contractiva, quemadmodum prædicatur differentia, quæ etiam non prædicatur in quid.

110. Cum autem contra opponitur quod non prædicetur, vt tota essentia, quandoquidem nec identificetur realiter illis suppositis, & in illis præterea reperiatur alia essentia, responderi potest non esse necesse, vt omnibus de quibus prædicetur species vt talis, debeat identificari realiter, nam homo non identificatur supposito Petri, de quo tamen prædicatur vt species. Deinde licet illa supposita habeant aliam essentiam, tamen hoc non tollit quominus homo prædicetur vt tota essentia, quia huiusmodi prædicabilitas non arguit per se necessario exclusionem alterius naturæ & essentia, sed solummodo quod res illa, quæ prædicatur vt tota essentia, non prædicetur vt pars contractiva aut contractibilis, aut vt proprietas, aut vt accidens præsupponens subiectum.

Responderi potest tertio, cum Auerſa distinguendo consequens; aliud prædicabile naturaliter cognoscibile, nego, supernaturaliter, concedo; nec id est inconueniens, aut contra prædictam diuisionis sufficientiam, quæ data est secundum proportionem luminis naturalis; ita, vt sensus sit, quod nullum sit prædicabile vniuersale lumine naturali cognoscibile, quod non sit alterum ex illis quinque.

111. *Querens*, an illa diuisio sit in species infimas, an vero in subalternas, hoc est, an quolibet prædicabile ex illis quinque, aut aliquod ex illis quinque contineat sub se plures species, vel non contineat, sed solummodo plura indiuidua. Si contineat plures species, diuisio erit in species subalternas; si non contineat, erit in plures infimas.

Respondeo, mihi satis esse probabile, quod aliqua saltem ex illis speciebus contineat sub se alias species; nam non video quin accidens prædicabile separabiliter quantum ad potentiam naturalem, & accidens non sic separabile, sint diuersæ rationis in esse prædicabilis tam bene quam proprium distinguitur ab accidente in esse prædicabilis: sed datur huiusmodi accidens, quod nequit separari naturaliter, vt calor respectu ignis, & alia quæ possunt separari naturaliter, vt calor respectu aquæ. Deinde non video cur prædicabilitas generis superioris non sit distincta rationis à prædicabilitate generis inferioris, verbi gratia infimæ; nam quamuis vtrique genus prædicetur vt pars contractibilis, tamè vnum prædicatur vt pars contractibilis per differentiam non ultimam essentialem; aliud, nempe infimum, vt pars contractibilis per differentiam ultimam essentialem; & eodem modo potest etiam differentia, quæ est prædicabilis in quale quid, diuidi in differentiam infimam & subalternam iuxta intentum obiectionis quartæ. Nec tamen hoc impediret bonitatem & adæquationem prædictæ diuisionis, sicut nec quando diuiditur animal in rationale & irrationale, impedit bonitatem diuisionis quod denter plura animalia irrationalia distincta rationis, nec quando diuiditur anima vt sic in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, impedit illam diuisionem quod denter plures animæ sensitiuæ & vegetatiuæ distinctissimæ rationis.

112. Et per hoc posset responderi ad illam obiectionem quartam alio modo distinguendo consequens: dantur sex vniuersalia species, quarum aliqua non est ex his quinque, aut contenta sub aliqua ex illis, nego consequentiam; quarum sexta est ex his quinque, aut con-

tenta sub aliqua ex illis, concedo, nec id est contra diuisionem: & hæc responsio est longe facilius quam præmissa, quæ tamen est communior.

Possit obici, quod si diuisio intelligeretur hoc modo ita scilicet vt diuidentia non essent species infimæ sed subalternæ, potuisset reduci ad pauciores numerum; vt verbi gratia ad quaternarium reuocando speciem & genus ad vnum prædicabile quod esset prædicabile in quid, quamuis rursus hoc prædicabile in quid posset diuidi in alias species, nimirum in prædicabile in quid complete, & in quid incomplete.

Respondeo concedendo totum, nec id etiam esset inconueniens, nec inde sequeretur quod male data sit per quaternarium numerum, sufficit enim ad diuisionem quod sit adæquata, & quod non sit per valde multa membra ad confusionem vitandam; nec per valde pauca, quando continet diuisum varias sub se species, ad vitandam obscuritatem. Quod si vitentur hæc extrema, intra illa potest dari iuxta discretionem diuidentis per plura vel pauciora membra, modo tamen detur adæquate: quod valde aduertendum est pro defensione multarum diuisionum, quæ in authoribus reperiuntur, ex quibus tamen aliqui impeerunt in illa extrema.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Vniuersale vt sic sit genus ad quinque Vniuersalia.

Hæc quæstio examinanda est tam de vniuersali metaphysico, quam de logico.

CONCLUSIO I.

113. *Non datur aliquod vnum vniuersale metaphysicum primo intentionaliter sumptum, quod sit genus proprie dictum ad omnia vniuersalia metaphysica.* Hæc videtur mihi conformis *Dotori q. 8. Vniuersalium*, vbi negat dari vnam vllam naturam genericam primò intentionaliter sumptam, quæ sit communis omnibus naturis genericis & aliis principiis eius: & videtur etiam communior; nam quamuis communiter admittatur vniuersale vt sic, esse genus ad quinque vniuersalia, vt postea dicemus, tamen id intelligitur de vniuersali logico.

*Probat*ur autem, quia nulla natura vna, primò intentionaliter sumpta est communis vniuersali ad naturas diuersorum prædicamentorum, præter naturam entis & transcendentium: sed natura entis & transcendentium non est natura vniuersalis vt sic, nec est illud, ratione cuius vniuersalia omnia habent esse vniuersalia; ergo non datur aliqua natura vna primò intentionaliter sumpta, quæ sit communis genericæ omnibus vniuersalibus. Probat^r maior, quia non potest assignari vlla talis natura, nec aliud munus aut effectus istius primæ intentionis. Probat^r etiam minor, quia non ideo substantia vt sic est vniuersale genericum, nec ideo rationale est vniuersale differentiale, nec album est vniuersale accidentale, quia includunt vniuersale ens vt sic, aut aliquid aliud transcendens primæ intentionis, quia si per impossibile aut possibile non includerent aliquid tale, adhuc essent vniuersalia talia propter prædicabilitatem quam habent de pluribus & communitatem ad plura.

Confirmatur, quia non datur aliqua natura genericæ primæ intentionis, quæ sit communis vniuersali omnibus naturis genericis primæ intentionis, vt tenet Scotus supra, & manifestum est: ergo neque datur à paritate rationis aliquod vniuersale metaphysicum, quod sit commune vniuersali ad omnia vniuersalia metaphysica communitate & vniuersatione saltem requisita ad genus proprie dictum, de qua communitate & vniuersatione loquor in conclusione.

Confirmatur vltius per dicenda de differentia metaphysica.

Obicitur: Dantur plura vniuersalia metaphysica distincta rationis: sed de quolibet ex illis prædicatur in quid vniuersale vniuersale metaphysicum, vt sic, ergo datur vniuersale metaphysicum vt sic, quod est iplis communis, & genus proprie dictum respectu eorum.

Respondet

Quomodo possit admitteri maior numerus prædicabilium quæ quaternarius.

Alia responsio ad obiectionem quartam.

Non datur aliquod vnum vniuersale metaphysicum primo intentionaliter sumptum, quod sit genus proprie dictum ad omnia vniuersalia metaphysica.

Respondeo, negando suppositum minoris, nimirum quod detur vniuersale metaphysicum vt sic, perfecte abstractum ab omnibus vniuersalibus metaphysicis. Argumenta autem omnia, quibus id probari posset, sunt similia illis argumentis, quibus probari solet dari aliquem conceptum indiuidualem communem omnibus indiuiduis & omnibus differentiis vltimis, & soluenda sunt eodem modo, quo illa inferius soluentur, quando de differentia ac indiuiduis tractabitur.

CONCLUSIO II.

114. Si loquamur de vniuersali logico prout dicit communiter, aut predicabilitatem absque ente rationis fito ab intellectu, satis probabile est, quod non detur aliquod vniuersale logicum vt sic, quod sit genus proprie dictum ad quinque vniuersalia Logica sic considerata: si verò loquamur de vniuersali logico, quatenus fingitur constitui per ens rationis, satis probabile est quod detur vniuersale vt sic, quod sit genus proprie dictum; rationis tamen, ad quinque vniuersalia. Hæc conclusio hoc modo à nullo, quod sciam, proponitur, & prima pars videtur mihi satis conformis primæ conclusioni, vnde potest censerī cōmunis, sicut illa est. Secunda verò pars est Doctoris q. 8. vniuers. D. Thom. opuscul. 5. c. 1. contra gentes, cap. 32. quos sequuntur recentiores cōmuniter contra Albertum Magnum tract. 1. de predic. c. 9. Canterum ibid. c. 4. Ogam. quest. 2. & alios.

Probatur prima pars, quia omnis communitas, & predicabilitas, quæ est in vniuersalibus absque ente rationis, debet fundari saltem remote in ipsis rebus, quæ dicuntur vniuersales, ergo si ipsæ res non cōueniant vniuoce in aliquo conceptu communi generico, neque etiā istæ communitates, aut predicabilitates sic conueniant: sed ipsæ res ex prima conclusione non conueniunt sic, ergo neque istæ cōmuniter, aut predicabilitates. Probatur prima consequentia; quia proprietates non conueniunt vniuoce, nisi fundamenta conueniant vniuoce, & hinc intelligibilitas entis rationis non conuenit vniuoce cum intelligibilitate entis realis, quia ens rationis & reale non conueniunt vniuoce.

Secunda pars conclusionis probatur, quia illæ formæ quæ finguntur aduenire naturis, possent habere conuenientiam inter se vniuoce tam bene, quam albedo & nigredo: sed hoc supposito nihil impedit quo minus conueniant vniuoce in ratione vniuersalis vt sic; aut quo minus vniuersale vt sic sit genus respectu eorum.

Confirmatur, quia si aduenirent naturis aliquæ formæ accidentales reales, à quibus haberent constitui in esse vniuersalis formaliter, illæ formæ conuenirent vniuoce in ratione vniuersalis vt sic: sed quod competere foris illis realibus, debet seruata proportionem attribui formis his rationis; ergo.

115. Obiicies primò contra secundam hanc partem: illud, quod predicatur in quid & essentialiter de vna specie, & accidentaliter de alia specie, non potest esse vniuocum ipsis, sed esse aptum inexistere aut predicari de pluribus predicatur per se de genere: genus enim per se est predicabile de pluribus; & per accidens de accidente; accidens enim accidentaliter tantum predicatur de pluribus; ergo, &c.

Respondeo primò, negando maiorem; quandocumque enim vna res secundum eandem rationem predicatur de pluribus, licet essentialiter conueniret vni, & accidentaliter alteri, adhuc tamen predicatur vniuoce de illis, & aptum est vniuoce inexistere illis, vnde si esset aliquid album essentialiter & aliud album accidentaliter, album vt sic, esset vniuocum ipsis; sicut de facto calidum predicatur vniuoce de aqua & igne, licet illi conueniat separabiliter, & huic inseparabiliter quantum ad potentiam naturalem.

Respondeo secundò negando minorem pro secunda parte; quia quamuis accidens accidentaliter, & non necessariò insit aut predicetur de pluribus, tamen æquè essentialiter est aptum vt insit, & vt predicetur per accidens de pluribus, ac genus est aptum vt insit & predicetur per se de pluribus. Itaque non propterea dicitur genus includere essentialiter rationem vniuersalis,

vt sic, quod possit inesse pluribus, de quorum essentia sit, sed quod per se petat vt possit inesse pluribus, siue sit de eorum essentia, siue non, vnde cum accidens per se petat, vt possit inesse pluribus, essentialiter includit rationem vniuersalis vt sic, non minus quam genus.

Et si quæras vnde petat genus posse inexistere pluribus, de quorum essentia sit, Respondeo ex ratione particulari talis vniuersalis, nō ex ratione vniuersalis vt sic.

116. Obiicies secundò: Nihil potest esse superius & inferius respectu eiusdem; sed vniuersale vt sic, si esset genus ad quinque vniuersalia, esset superius & inferius respectu eiusdem, ergo non potest esse genus. Probatur minor: esset superius, quod enim est genus respectu aliquorum est superius ad illa; esset inferius, quia contineretur sub genere, omne enim genus continetur sub genere illo, quod est species vniuersalis vt sic.

Respondeo distinguendo maiorem; idem formaliter & secundum eandem considerationem aut formalitatem, concedo; secundum diuersas considerationes, aut formalitates, nego maiorem: similiter distinguo minorem. Vt autem ostendamus quam sint istæ diuersæ formalitates seu considerationes, secundam quarum vnam vniuersale vt sic, possit esse superius, & secundum aliam inferius.

Aduertendum est, illud dici superius aliquo, quod includitur in ipso, ita tamē, vt ab includēte valeat consequentia ad inclusum, non autem e contra. Illud verò dicitur inferius, quod includit aliud, & à quo valet consequentia ad inclusum, cum tamen ab inclusō non valeat consequentia ad includens, verbi gratia animal est superius homine, quia includitur in homine, & quia sequitur: est homo, ergo est animal; non vero sequitur: est animal, ergo est homo. Homo autem non dicitur inferius, nec superius risibili, quia licet risibilitas includatur in homine, tamen sunt conuertibilia, ab altero enim ad alterum valet consequentia.

117. Aduertendum præterea vniuersale, vt sic, esse aptum predicari & inesse pluribus, & esse aptum predicari & inesse pluribus distinctis specie; neque secundum eandem considerationem competit ipsi vtrumque quia bene potest intelligi, vt predicabile de pluribus, quamuis non intelligatur, vt predicabile de pluribus distinctis specie: Quando ergo dicitur quod vniuersale vt sic, sit superius ad genus & ad cæteras suas species, hoc ipsi conuenit secundum quod est predicabile de pluribus præcise, & non secundum quod est predicabile de pluribus distinctis specie, quia secundum quod est predicabile de pluribus, & non est de pluribus distinctis specie, includitur essentialiter in genere & in cæteris speciebus, & non valet consequentia ab ipso ad vllam speciem ex ipsis: quādo vero dicitur quod vniuersale vt sic sit inferius respectu generis, hoc est verum secundum quod est predicabile de pluribus differentiibus specie, quia secundum hanc rationem includit rationem generis, & ab ipso ad genus valet consequentia, non e contra.

Dices: idem nequit esse simul vniuersale vt sic, & tale vniuersale: sed, si vniuersale vt sic esset genus, esset vniuersale vt sic & tale vniuersale: ergo nequit vniuersale vt sic esse genus ad quinque vniuersalia.

Respondeo distinguendo maiorem: secundum eandem considerationem, concedo; secundum diuersam nego. Vniuersale autem vt sic habet talem rationem, quatenus est predicabile de pluribus præcise, abstractendo à modo, quo est predicabile; habet autem rationem talis vniuersalis particularis, nimirum generis, vt est predicabile de pluribus differentiibus specie; nempe de quinque vniuersalibus.

Ex dictis in hac disputatione facile possunt solui difficultates, quas noluit soluere Porphyrius, Chrysostomus consulens iuuentuti. Quarum prima erat, an genera, & species sint in rerū natura à parte rei; Respondeo enim quod capiēdo genera & species pro naturis illis, quæ sic denominantur, non est dubium, quin dentur multa genera & species à parte rei, in singularibus tamen

Et

Quo-
modo
dicitur
vniuersale
vt
sic
com-
mu-
e
omnibus
vniuersalibus
logicis.

Quid est
superius
& quid
inferius.

Quomodo
vniuersale
vt sic est
genus &
species.

Quod
per se
conuenit
vni &
per acci-
dens al-
teri po-
test esse
vniuocū
illis.

Et similiter patet, quod quædam ex his generibus sint corporalia, quædam spiritalia, quædam substantialia, quædam accidentalia: & per hoc patet ad secundam difficultatem. Ad tertiam etiam quæstionem, quæ quærebat utrum vniuersalia illa essent in sensibilibus, id est in singularibus, an extra; patet quod sunt in illis, quatenus identificantur illis; extra verò illa, quatenus distinguuntur formaliter ab illis.

DISPUTATIO IV.

De Genere.

PORPHIRIUS cap. i. suæ introductionis agit de genere variasque eius acceptiones tradit ibidem, quas, ut nostro instituto minus necessarias omitto, acturus solummodo de genere logico, cuius duas descriptiones dedit Porphyrius. Prima est: *Genus est id sub quo collocatur species*: Secunda est: *Genus est quod prædicatur in quid de pluribus specie differentibus*. Ex his autem definitionibus prima, nisi explicetur, ita ut faciat eandem sensum cum secunda, non satis exacte ostendit naturam generis; ut vniuersale: quare de secunda definitione in hac disputatione agemus.

Due definitiones generis traditæ à Porphyrio.

Quid genus generalissimum.

Quid subalternum.

Porro aduertendum est, Porphyrium diuississe genus prædicabile de pluribus specie distinctis in generalissimum, quod est illud quod non habet supra se aliud genus, ut substantia prædicamentalis, ut sic, de qua nihil, prædicamentale saltem, potest prædicari per modum generis; & in subalternum, quod est illud quod habet supra se aliud genus, ut animal, de quo prædicari potest tanquam genus, sub quo continetur, viuens, corpus &c. Hæc tamen diuisio est diuisio generis primo intentionaliter accepti, non secundò intentionaliter accepti, quia quodcumque genus secundò intentionaliter acceptum habet supra se aliud quod possit prædicari de ipso in quid, nimirum vniuersale ut sic. Intellego autem hic per genus primò intentionaliter, seu, ut alij dicunt, materialiter, illam rem secundum se, quæ potest denominari vniuersalis; per genus autem secundò intentionaliter, seu formaliter, intellego illam rem, prout vniuersalis formaliter, verbi gratia animal secundum se est genus materialiter, seu primo intentionaliter, quia est res quæ potest denominari vniuersalis, cum tamen essentialiter non sit vniuersalis: animal vero, ut prædicabile formaliter est genus formaliter, seu secundò intentionaliter, quia ut sic dicit ipsam genericitatem quæ formaliter constituit genus in esse generis: & hoc est aduertendum non solum de genere, sed de reliquis etiam vniuersalibus, quæ etiam primo intentionaliter, & secundò intentionaliter capi solent.

QVÆSTIO I.

Quodnam sit definitum in definitione generis.

Quandoquidem ad cognoscendum, utrum definitio præmissa generis sit bona, necessarium sit scire, quodnam sit definitum, cuius natura illa definitione explicatur, præmittenda erat hæc quæstio, quæ propterea difficilis redditur, quia illa vox *genus*, quæ substituitur loco definiti, est vox concreta, sicut & ceteræ quatuor voces, quibus significantur reliqua quatuor vniuersalia, & sicut etiam ipsum vniuersale, ut sic, ut supra diximus, est concretum quid. Illud autem omnibus concretis conuenit ut dicant duo, vnum pro formali, pro materiali alterum; unde quando definiuntur, potest dubitari quidnam per se per eorum definitiones definitur, an illud quod materialiter & connotatiue dicunt, vel illud quod formaliter & per se significant, vel utrumque simul. Quæ difficultas quamvis sit communis omnibus omnino concretis, quando definiuntur; tamen examinabimus ipsam particulariter de genere, ita nihilo-

minus, ut ex resolutione data de genere vnusquisque facile percipere possit quid dicendum sit non solum de cæteris vniuersalibus, de quibus sine dubio est eadem ratio ac de genere; sed de omnibus omnino concretis. Itaque cum genus dicat naturam communem pluribus speciebus, & præterea prædicabilitatem de illis, quæritur hic an ipsamet natura communis, an prædicabilitas, an vtraque simul hic definiatur.

Qua in re plures possunt esse opiniones. Prima, quod ipsa natura generica, quam dicit genus materialiter, esset definitum per se in hac definitione, v.g. natura animalis, natura coloris, natura viuents, natura substantiæ spiritualis finitæ ut sic, & similia.

Secunda, quod ipsa secunda intentio genericitatis, quam dicit genus formaliter, & à qua formaliter habet natura prædicari posse de multis, per se definiatur hac definitione.

Tertia, quod neque vna neque altera, sed vtraque simul, scilicet & natura & genericitas ex æquo hic per se definiantur. Pro his autem tribus sententiis, quia communiter negantur, non inuenio vllius momenti auctores, quorum auctoritate fulciantur.

Quarta sententia est, naturam communem hic definiri, non tamen secundum se præcise, ut tenuit prima sententia, sed prout connotat genericitatem. Ita Toletus hic q. 1. Rub. q. 2. Caberius tr. 3. Vniu. Auerfa q. 10. Amicus q. 1. dub. 2. qui vniuersaliter tenent concreta omnia, præsertim accidentalia, qualia putant esse quinque prædicabilia, per se primo dicere substratum formæ accidentalis, & connotare illam formam, v.g. album per se primo dicere rem, quæ afficitur albedine, & connotare ipsam albedinem; vnde consequenter existimant quod quoties definiuntur huiusmodi concreta, definitum per se definitionis sit ipsum substratum, quatenus tamen connotat formam.

Quinta denique sententia huic directe opposita est, definitum per se huius definitionis esse ipsam genericitatem seu formam, à qua natura habet esse prædicabile de multis, non tamen secundum se & in abstracto, prout tenuit secunda sententia: sed in concreto & ut connotat ipsam naturam; quod similiter tenent de omnibus concretis accidentalibus. Sic Scotus q. 14. Vniu. cum suis omnibus, D. Thomas in 1. d. 18. qu. 1. art. 2. cum Caietano hic, Didaco à I. E. S. V. disput. 6. quæst. 1. Gallego controuersia 12. Masio hic sect. 1. quæst. 3. Complutensibus disput. 5. quæst. 3. Ioanne à S. Thoma quæst. 7. artic. 2. & alijs.

CONCLUSIO I.

3. Ipsamet natura communis, quæ denominatur genus, nec secundum se, nec secundum vlla prædicata prima intentionis definitur per se hac definitione. Hæc est communissima contra primam sententiam. Probatur à Complutensibus, Ioanne à sancto Thoma, ac aliquibus etiam Scotistis, quia alias definitio conueniret definito accidentaliter, quia accidentale est animali prædicari de pluribus, cum id ipsi conueniat per operationem intellectus: sed prædicari de pluribus speciebus est definitio generis; ergo si definiretur natura communis, animal verbi gratia, per illam definitionem, definitio conueniret accidentaliter definito.

Natura communis non definitur per se in definitione generis.

Contra hoc fundamentum facit, quod licet prædicari de pluribus actualiter, conueniat accidentaliter animali, & cuiusque naturæ genericæ primò intencionaliter sumptæ, tamè prædicari aptitudinaliter de pluribus speciebus non conuenit ipsi accidentaliter: sed per prædicari de pluribus speciebus positum in definitione generis non intelligitur prædicari actualiter sed aptitudinaliter, ut patet ex dictis supra de vniuersali ut sic; ergo quauis definiretur natura generica, v.g. animal per hanc definitionem non sequeretur quod definitio conueniret definito accidentaliter aut contingenter. Maior pro secunda parte, in qua sola potest esse difficultas huius discursus, patet, quia animal & quælibet natura talis tam est per se necessario prædicabile, quam est per se necessario intelligibile, aut quam homo est necessario risibilis.